

Quæres III. An, antequam deveniatur ad torturam, debeat constare de corpore delicti. Responsio communis est affirmativa. Puto tamen hoc pendere à locorum consuetudine, vel Judicis arbitrio. Non enim video rationem, cur non teneatur legitime interrogatus respondere, etiam antequam constet de corpore delicti, cum in multis, ut quæ fiunt occulte, non possit constare. de quo cap. seq. contr. 3.

82. Cæterum, Guazzinus insinuat n. 7. altam praxin in hoc negotio, quam dicit, se semper observasse. Nempe nolenti respondere poterit Judex dicere, quod hanc ipsius taciurnitatem velit connumerare inter indicia super delicto vel negotio principali, quæ tandem sufficient ad torquendam ad eruendam veritatem. Nam, ut ipse bene monet, tortura ad eruendam responsum, cum, ut dictum est, debeat esse levis, per eam non erit satis consultum Justitiæ: quidni

enim eam perferat: nunquid processus vulnerabitur? hoc sane absurdum foret.

83. Et hæc de Processu Ordinario per Accusationem dicta sufficient. Nam cætera sunt communia Processui in Civilibus, de quo to. 2. hoc tamen excepto (de quo infra) quod in causis criminalibus etiam post publicationem processus & arrestationum, & conclusionem in causa, tam in ordinatio, quam inquisitorio processu, non tantum Judicis officio, sed & ad rei instantiam, pro ipsius defensione, in favorem innocentie, novi testes produci & examinari possunt, & alia nova probationes recipi. l. 18. §. 9. ff. de Questionib. ibi. [Quamvis defensionem, quocumque tempore, postulate reo, negari non oportet, adeo ut propterea & differantur, & proferantur custodiæ.]



CAPUT IV.

DE FORMA PROCESSUS IN- QUISITORII.

CONTROVERSIA I.

Quid, & Quoraplex sit Inquisitio.

SUMMARIUM.

Inquisitio definitio. 84.
Divisio ejusdem in Generalem & Specialem. 85.
Praxis instituendi Inquisitionem utramque. 86.
Ad Inquisitionem Generalem instituendam sufficientia levia indicia. 87.

84. [Inquisitio] definitur. Delicti informatio Judicis Officio & auctoritate facta. Vel Legitima Judicis ex officio procedentis super delicto informatio. Consistit ergo Inquisitio, formaliter non, ut aliqui putarunt, apud Justitiam Clarum, in transmittione inquisitionis ad rem, sed in primo actu, quo Judex contra reum pro-

cedit: qui consistit in assumendis de delicto informationibus, & non in aliis actibus subsequen-
tibus.

85. Dividitur Inquisitio in Generalem & Specialem. Generalis est, quæ incerto adhuc delicto vel delinquente per Judicem fit generaliter se informando, an revera delictum perpetratum sit, & quisnam illud commiserit. De hujusmodi generali inquisitione loquitur Innoc. 171. incap. 25. de accusat. [Sicut olim à SS. PP. noscitur institutum, Metropolitanis singulis annis cum suis Suffraganeis Provincialia non omittant Concilia celebrare: in quibus de corrigendis excessibus, & moribus reformandis, præsertim in Clero

Clero diligentem habeant cum Dei timore tractatum. &c.] Et lex 13. pr. ff. de Off. Praesid. ibi. si sollicitè agat, ut malis hominibus provincia caveat, eosque conquirit. Ad hoc membrum reducitur illa Inquisitio, quam Damhoderus & alii Generalissimam vocant, quæ inquiritur super statu alicujus civitatis, arcis, Castris, vel loci. Huc etiam vocari debet, quæ inquiritur in certum aliquod genus delicti & delinquentium, ut, an in civitate sint aliqua scorta, per quæ Juventus scholastica corrumpatur. Denique etiam huc revocatur illa, quam aliqui vocant Mixtam, ex speciali & generali, quando se generalitas tenet ex parte personæ, & specialitas ex parte delicti, v.g. quando inquiritur an Titius sit occisus, ut fama fert, & à quonam, quando necdum ullius particularis fama laborat. Vel e contra, quando laborat fama personæ particularis, & inquiritur in genus delicti, an commissum sit, v.g. an Titius Judex falsa Judicia exerceat. Sanchez lib. 6. Confessorum c. 3. dub. 16. vocat Specialem. Sed meliùs

Specialis Inquisitio est, (de qua in præsentia capite agitur) quæ fit per Judicem contra particularem personam, de cujus delicto jam Curia notitiam habet, vel quæ in delicti modum & auctorem, personam certam, in inquisitione generali suspicionibus gravatam, in specie Judex inquirat. Ità Carpozovius. Brevius alii: quæ inquiritur de aliquo delicto in particulari, an à Titio sit commissum.

86. Praxis ergo sic habet, teste Carpz. n. 17. Si Judici non liquet, an & à quo cerè delictum commissum sit, instituitur ab eo Generalis Inquisitio, per informationis assumptionem generalem, ex depositione testium summaria absque Juramento, super ipsum factum, personas, famam, aliasque circumstantias & qualitates. Quæ Inquisitio est quasi præparatoria ad inventendum delictum & delicti auctorem, de quo Curia nondum habet notitiam. Quodsi postea ex inquisitione generali Judex tñ de delicto tum de auctore delicti notitiam aliquam consecutus est, (intellige adhuc dubiam) solet adversus illam personam singulariter & in specie ex officio inquirere, ne maleficium hoc ei sit impune. Et hæc deinde est specialis Inquisitio, & nõ convenit nisi habenti Merum Imperium, cū illa generalis conveniat etiam inferiori Magistratui habenti solam bastam Jurisdictionem, quamque quilibet Judex facere potest, ut ait Berlichius in suis avertis decr. 120. & plerumque ab his non solet fieri nisi in levis delictis. Quodsi præter intentionem aperiantur gravia delicta, ea debet inferior denuntiare superiori, ut in ea inquirat, & animadvertere possit.

87. Illud adhuc observandum est, ad Inquisitionem generalem spectare, ut Judex acqui-

rat aliquam non temerariam suspicionem, non solum de corpore delicti, sed etiam de persona delinquente, ut magis infra declarabitur. Unde fit, quod per se loquendo generalis inquisitio præcedat specialem, nam ad generalem instituendam (cū ea non tendat ad puniendum, sed solum ad comparandum fundamentum specialiter inquirendi) sufficient levia indicia, fundantia probabilem aliquam suspicionem de delicto commissio, de quo debet esse moraliter certus Judex, antequam ad Inquisitionem specialem perveniat.

CONTROVERSIA II.

Quanam sint Requisita ad Inquisitionem legitime perficiendam.

SUMMARIUM.

Ad Inquisitionem ritè instituendam requiritur, ut saltem in genere constet de corpore delicti, nisi sit facti transeuntis. 88.
Hodie non requiritur Accusator, cum sit Ordinarium remedium. 89.
Referuntur cætera Requisita. 90. & seqq.
Referuntur Requisita in Inquisitione ipsa observanda. 93.

88. Distinguendum est inter Requisita, seu Prærequisita ad Inquisitionem ritè instituendam, & inter requisita quæ in ipsa Inquisitione sunt observanda. Priorum Carpozovius solum recenset tria. Sed Fatiniacus decem, quæ Imber hic summarim refert, nam speciales eorum difficultates commodiùs postea expedientur.

Primum Requisitum est. Ut saltem in genere constet de corpore delicti. arg. l. 1. §. 24. ff. ad S. C. Syllanian. Item illud incertum est n. 1. nisi constet aliquem esse occisum, non haberi de familia questionem, liquere igitur debet, seclere interemptum. Nisi delictum esset facti transeuntis, nulla vestigia post se relinquentis, ut est adulterium, nam tunc sufficeret querela, ut notat Julius Clarus. q. 4.

89. Secundum requisitum. (quod tamen hodie non est in usu, ut jam supra dictum) Ut interveniat accusator: quod ideo hodie cessat, quia Inquisitio non est amplius remedium extraordinarium, sed ordinarium, quod etiam notavit Prosper Fagnanus in cap. Qualiter & Quando 2. n. 19. in fine. Unde neque hodie amplius necesse est, ut ante Inquisitionem citeur offen-

offensus, velejus propinqui, quibus Jus est suam suorumque injuriam persequi. An autem possit processus Ordinarius seu per accusationem cumulari cum Inquisitorio, est quæstio parum utilis, & de Jure communi affirmat Clarus & Nicolaus Reiffner, quos refutat Carpovius in favore suo Juris Saxonici, de quo nobis non est curandum.

90. Tertium Requisitionem. Ut Inquisitio sit certa, specifica, & clara, continens in se omnes delicti qualitates & circumstantias, taliter, ut reo defensio non tollatur. Verum, hoc requisitum potius observandum est in Inquisitione præsupponente Accusationem, quæ debet habere illas qualitates, ut supra dictum.

Quartum Requisitionem. Ut præcedant Indicia, de quibus infra erit tractandum. Neque hoc requisitum est universale pro omni Inquisitione, ut patet ex diversis.

Quintum Requisitionem. Ut præcedat fama. De quo, an sit universale, infra videbimus.

Sextum Requisitionem. Ut ille, contra quem Index vult inquirere de certo delicto, non fuerit aliis de eodem absolutus: nam semel absolutum amplius molestari non debere, supra declaratum est, agendo de iis qui accusari non possunt.

91. Septimum Requisitionem. Ut Inquisitio fiat a Judice competente, & est ille ipse coram quo possit institui accusatio, de quo actum tract. I. hujus tomi & præced. quod tamen limitationem recipit, nisi in causa civili coram Judice causa civilis de crimine incidente ageretur, v. g. de crimine falsi de teste commissi, de quo etiam aliquid superius me dixisse memini, & videri potest Menoch. de arbit. q. 91. lib. 1. & Farinac. hic à n. 19.

Octavum requisitum. Ut non sint elapsi anni, quibus supra diximus delictorum accusationem præscribi: quamvis non desint, qui negent Officium Judicis præscribi nisi spatio longissimi temporis, hoc est. 30. annorum.

92. Nonum Requisitionem. Ut inquirendus sit præsens, hoc est, ejus copia haberi possit. Nam contra absentem, nisi per contumaciam absens sit, de jure procedi non potest. Sed consuetudo habet contrarium teste Claro, non tamen ubique, sicut nec in Foro Saxonico teste Carpovio, nisi in levioribus, si reus habeat patrimonium, tunc enim contumax & fugitivus pro convicto habitus in multam pecuniariam condemnatur, applicandam Fiscis.

Decimum Requisitionem. Ut non supervenerit nova qualitas aggravis, v. g. mors vulneri, tunc enim cessat Inquisitio de vulnere: sed hoc requisitum non est universale, cujus limitationes vide apud Farin.

93. Requisitionem secundæ generis, hoc est, in ipsa Inquisitione observandam, non traduntur in Jure, sed ex locorum consuetudine pendunt. In Saxonia (& forte in pluribus aliis provinciis) sunt hæc, & hoc ordine peraguntur.

Primo, instituitur generalis inquisitio de corpore delicti, & ut Index ex indicis certus fiat, in quam determinatam personam inquirere debeat: quibus habitis capitur & incarceratur Reus, ne processus inquisitorius eludatur. Postea formantur articuli Inquisitionales, & annotantur responsiones ab inquisito redditæ, ut constet an reus crimen fateatur, vel si neget, ut probationi locus detur. Itaque negante reo delictum, Index testes sub juramento producit. Quibus peractis, criminique vel indicis ad torturam sufficientibus probatis, confrontatio testium cum inquisito fieri debet, admissa rei defensione, ejusque deductione & probatione. Denique transmittuntur Acta Inquisitionalia ad Collegium Jurisperitorum, eorumque Consilium desuper imploratur, & quæ à Scabinis judicata fuerint, tum ratione condemnationis, tum ratione juramenti purgatorii, vel etiam torturæ, strictè exequenda sunt. Et hæc ex Carpovio annotata possunt & extra Saxoniam pro Instructione Judicibus deservire. Nunc omnia magis in specie discutienda.

CONTROVERSIA III.

Quando et quatenus debeat constare de corpore delicti.

SVMMARIVM.

*D*elictorum incertam loquendi modum reservat.

94. Tres gradus Notitiæ circa delicta, de quibus certò constare potest. 95. Ad primam indagacionem & capturam sufficienti probabilitate indicis. 96. Ad torturam sufficienti minus evidentiâ indicia, quam ad condemnationem, quæ tamen sint moraliter certa. 97. & seq. Confesso & convicto non est infligenda pœna ordinaria mortis, nisi constet de corpore delicti, saltem per testes. 99. Potest tamen infigi ordinaria, si non sit pœna mortis. 100.

94. **H**anc Questionem magnâ confusione tractant DD. utentes terminis æqui-

æquivocis; ut lectorem non solum perplexum reddant, sed etiam in erronea judicis facile abducant, dum sæpe dicunt, debere Judici certò constare de corpore delicti, & hoc pronuntiant universaliter, cum tamen sint delicta, que nunquam possunt in se, & teclusa confessione rei, certò constare, utpote quæ sunt facta in oculo, & nullum post se vestigium relinquunt, v. g. Sodomia bestialis, & plura alia, in quibus quandoque nec indicia probabilia haberi possunt. Unde non immeritò de talibus loquens Clarus q. 4. (quidquid illi contradicat Farinacius q. 2. n. 13.) ait, in hujusmodi criminibus ad procedendum non requiritur aliam investigationem delicti; sed statim portendat querelâ posse ac debere Judicem inquirere contra delinquentem delatum, & habitis indicis illum incarcerare: & hoc ait in practica nullam habere difficultatem. secuta autem confessione rei, juncatâ præcedente querelâ, deveniri ad condemnationem. Itâ Clarus. Deinde DD. qui sæpe dixerunt, debere Judici certò constare de corpore delicti, in progressu dicunt, debere habere suspicionem ex indicis; atqui suspicio non est notitia certa, imò strictè loquendo non est Judicium probabile seu opinativum, sed actus quidam formidolosus, qui solet exprimi per particulam: *fortassis hoc contigit: forte est verum quod fama fert &c.*

95. Loquendo itaque de illis delictis, de quorum corpore potest haberi immediata & certa notitia, v. g. quòd Titius, cujus corpus cum vulnere lethali conspicitur, sit occisus, de his inquam loquendo, semper existimavi Tres gradus Notitiæ faciendos esse, quorum unus sufficiat ad inquirendum, & capiendum, sed nondum ad torquendum; alterum, qui sufficiat ad torquendum, sed non ad condemnandum; tertium, qui sufficiat ad condemnandum. Hoc ipsum videtur sibi velle Carpovius q. 108. n. 9. dum ait, in foro Saxonico Indagationem corporis delicti, suâ quidem opinione, Triplicem esse: unam ad effectum inquirendi contra certam aliquam personam: alteram ad effectum torquendi reum: (& per consequens jam ex priore indagatione captum) tertiam ad condemnandum.

96. Dicendum itaque I. Cum citato Auctore, ad primam indagationem sufficere probabilia indicia criminis commissi. Nam ad inquirendum seu processum inchoandum, sufficere sola querela, diffamatio publica, vel denuntiatio: quæ posita non solum potest, sed etiam ex officio debito tenetur Index processum instituire & inquirere: & Baldus dicit, se vidisse condemnari Judicem, qui portaverat ad Cameram accusationem sibi delatam, & noluerat super ea procedere. Itaque ad effectum inquirendi sufficit, ex conjecturis & indicis de corpore delicti constare: a quoquin plurima delicta evaderent impunita. In

exemplo. Puella vaga & levis in vasa est noctu aliquid in flumen projecisse, & ejus venter repente evanuit, cum antè intumisset, & vicinis quòd gravida esset, suspecta erat, ex his habet Index indicia sufficientia ad capiendam puellam, & inquirendum in illam, etiamsi necdum repetus sit infans in flumine. Concordat articulus 6. Ordin. Carolinæ, ubi jubetur Index diligenter inquirere, an delictum, ob quod reus incarceratus est, sit liquidum, aut suspectum, contigerit, necne. ergo supponit Ordinatio, posse aliquem in vincula conjici, ob delictum, de quo necdum certò constat esse perpetratum.

97. Dicendum II. Cum eodem auctore, non esse verum, quod communiter ab aliis traditur, quòd ad torturam non minor, sed eadem evidentiâ delicti sufficiat & requiratur, quæ ad condemnationem, si accedat rei confessio: sed dicendum, sufficere minus evidentiâ indicia, quæ tamen sint moraliter certa & prudenter indubitabilia, esto non interyenerit ocularis inspectio. v. g. in casu posito, si prope flumen, ubi puella visa est aliquid projicere, reperirentur linteamina sanguine vel secundinis infecta, quòd quidem exemplum Carpovius non habet, sed non dubito fore concessurum, nam hujusmodi Indicium videtur proximum esse illi evidentiæ, quæ habebitur infante ibidem reperto. Sed quia, ut Philosophi loquuntur, ad stabilendam conclusionem in exemplis non requiritur veritas, per me licet, ut alii aliter sentiant quoad allatum exemplum: nam in aliis delictis v. g. homicidio, poterunt facilius hujusmodi indicia haberi, antecederent ad omnimodam & ocularem vel Judicis vel testium evidentiâ.

98. Probatur I. Toties torturæ locus est, quoties possit reo imponi pœna corporis afflictiva, v. g. amputatio manus, fustigatio, etiamsi ea non sit ultimi supplicii, ut patet ex dictendis. atqui hujusmodi pœna potest imponi reo confesso etiam tunc, quando non habetur evidentiâ physica corporis delicti, dummodo habeantur indicia moraliter indubitata: ergo existentibus talibus indicis (si delictum sit proportionatum) poterit reus torqueri. & consequenter si accedat confessio, extra ordinem puniri, esto, non pœna capitali.

Probatur II. Ex verbis apertis Ord. Carol. art. 8. ubi dicitur. Si delictum capitale & ultimo supplicio punibile, est notorium, vel indicia fuerint indubitata, & probata, torturæ, & omni possibili inquisitioni ad inveniendam veritatem subiectus erit.

Probatur III. A Carpovio hoc discursu. Sapissimè accidit, ut corpore delicti occultato, veluti cadavere hominis occisi in terram desosso, Reus neque delictum confiteri, neque cadaver exhibere velit, ut maxime probabilissima (nos

vocamus moraliter certa) & indubitata criminis commissi indicia appareant. Anne ergo hoc casu delinquens a pena immunis erit? Iniquissimum certe hoc esset, quod ne asseramus, omnino videretur dicendum, torturæ locum esse, non solum ut confessio delinquentis eruat, sed & veritas delicti, & ubinam locorum cadaver defossam aut projectam sit, extorqueatur: quod (inquit) sepius factum memini.

Probatur IV. Ex communi DD. sententia potest quandoque rursus in penam extraordinariam, etiam relesione aut fustigationis, condemnari, etiam si crimen confessus non sit, & hoc ex solis conjecturis, iudiciis & presumptionibus. ergo multo magis poterit ex certis & indubitatis iudiciis torqueri. Antecedens tradit Clarus §. fin. q. 2. n. 5. in fine, his verbis. [Et hæc opinio apud nos servatur, quantum ad hoc, ut ex presumptionibus deveniatur ad condemnationem: nam quotidie ex iudiciis & presumptionibus Rei per Senarum condemnantur, non quidem in penam mortis, (quod tamé apud eundem aliqui asserunt) neque penam ordinariam ipsius delicti, sed in penas etiam corporales, puta trizemium, fustigationis, ictuum funis, & huiusmodi; & in specie ita servatum fuit in quodam, qui cum esset iudiciis indubitatis gravatus de homicidio, fuit per decennium ad trizemes condemnatus.]

99. Dicendum III. Delinquenti confessio aut convictio, pena ordinaria mortis non est infligenda, antequam de corpore delicti & veritate criminis commissi liquidò & certò, per testes vel per evidentiam facti, constet. Ita Carpozovius, nisi quòd ipse non posuerit vocem: *Ordinaria*, sed quòd eam subintelligat, colligo ex præiudicio quod asserit n. 29. ubi expressè dicitur, quòd nulli delinquenti præcisè ob ejus confessionem, absque notitia delicti, Ordinaria pena decernenda sit. In delicto homicidii per vulnerationem facti insuper requiritur, ut iudicio Medicorum vel Chirurgorum constet de lethaliitate vulneris, ut constat ex dictis præced. tract. de Homicidio. & ratio est, quia veritas homicidii consistit in hoc quòd homo sit mortuus ex vulnere, seclusis aliis accidentibus, seu, quòd vi vulneris debuerit mori. Conclusio sumitur ex l. 1. §. 24. ff. ad Syll. supra allata. ex verbis illis. *liquere igitur debet sceleris interemptum.*

100. Ex dictis deducitur, in illis delictis, quorum pena ordinaria non est ultimum supplicium, posse reum puniri etiam pœnâ ordinariâ, si reus sit confessus, & de delicto reverâ commissio ex pregnantibus & probabilibus presumptionibus, etiam si non indubitatis, iudicium fieri possit. Nam ut ex Julio Claro retulimus, etiam absq; confessione possit ad talem penam procedi, ergo multo magis si confessio accedat.

CONTRORSIA IV.

An ad Inquisitionem Specialem debeat semper præcedere Infamatio, seu fama de certa persona.

SUMMARIUM.

Non est iuris naturalis aut divini, ut præcedat publica fama de certa persona, ut possit ad capturam & inquisitionem procedi. 101.
Sufficit disjunctivè vel fama, vel indicia æquivalentia fame. 102.
Quid in hoc puncto obineat in Bavaria. 103.
Solvuntur argumenta sententia requirentis determinatè famam. 104. & seq.
Solennitas Infamationis etiam alibi non requiritur ad Specialem Inquisitionem. 106.
Casus duo, in quibus nec adversarii requirunt famam præcedentem. 107.
Adversarii non videntur doctrinâ consequentiam tenere. 108.

101. **P**rima sententia affirmat. Ità aliis Theologis & Canonistis relatis tenet Thomas Sanchez lib. 6. *Confil. cap. 3. dub. 17. n. 5.* ex quibus tamen pauci sunt, qui se sufficienter explicent, quòd non sufficiant indicia, sed requiratur publica fama.

Secunda sententia docet, non requiri determinatè famam, sed disjunctivè vel famam, vel indicia. Ità S. Th. 22. q. 69. art. 2. in C. Sotus, Alciatus, Gomez, Bartolus, Angelus, Palacios, apud eundem.

Dicendum I. Non est de Jure divino aut naturali, ut præcedat infamia, seu publica fama de certa persona, ut in eam possit specialiter inquiri, & ad capturam procedi. Ità sentit ipse Sanchez. dub. 18. Quia nullum existat tale præceptum in sacris litteris, & testimonia tantum explicant factum divinum, ut Genes. 18. *Descendam & videbo, virum clamorem qui venit ad me, opere compleverunt.* & Luca 16. *Quid hoc audio de te? redde rationem villicationis tuæ.* Itaque nihil obstat, eodem Sanchez faciente, quo minus lex ferretur, ut testimonium duorum vel trium vicem gereret accusatoris, sicut id lex defacto statuit de fama. Imò, ut statim dicam, defacto in Imperio Romano existat talis lex. Itaque

102. Dico II. In Imperio Romano sufficit ad inquirendum, & ad capturam, disjunctivè vel

vel fama vel indicia æquivalentia fama, hoc est, quæ æquè ratò fallunt, ac fama. Ità habetur artic. 6. ubi statuitur: Si quis ob delictum publicè sit diffamatus, vel NB. aliis verisimilibus iudiciis suspectus, & ita oneratus, ut propterea per magistratum ex officio capiatur, quòd istamen non prius torturæ subjici debeat, quàm legitima & sufficientia indicia & presumptiones illius delicti contra ipsum probentur. Ecce distinctiõne inter famam & indicia, & inter indicia sufficientia ad capturam, & sufficientia ad torturam.

Rationem reddit Bernardus Zieriz; & ex eo Casparus Manzius, quia utique non semper expectandum est, an & quid fama publica loquatur, sed etiam indicia & presumptiones intermedium sunt loco diffamationis. addo ego, & illi æquivalent in ordine ad movendum Judicem. Nam sicut ideo fama sufficit, quia plerumque non fallit, si habeat originem à viris probis, non suspectis &c. prout declaravi *tomo 1. tract. 4. cap. de fama.* ità etiam verisimiles presumptiones & indicia plerumque non fallunt, alioquin si fallerent plerumque non essent verisimilia: nam ut Aristoteles definit, probabile dicitur, quod plerumque non fallit.

103. Circa hunc articulum advertit Jus Bavaricum *Proc. Crim. tit. 2. c. 2.* cum intelligendum esse de personis aliis levibus & suspectis; honestas autem personas & minime suspectas, non hinc capi nisi præcedant indicia etiam ad torturam sufficientia. Unde Ferdinandus V Vaizenegger testatur, usu obtinuisse, ut nemo faciliè in Bavaria prius in carceres compingatur, quàm iudiciis ad tormenta sufficientibus urgeatur per rationem. quia solus carcer vehementer infamat, & sunt, qui mallent vitæ, quàm huiusmodi famæ injuriam facere. Hoc tamen iterum limitatur, nisi periculum fugæ subsit.

104. Sed videamus quibus Juris textibus Sanchez suam sententiam stabiliat, ex quorum solutione magis confirmabitur nostra sententia, quæ videtur vera, etiam præcedendo ab auctoritate Carol. Ordin.

Obicit ergo l. c. 19. *de accusat. re.* Ibi nulla existisse indicia verisimilia, sed potius præsumptio erat pro innocentia. Sic habet ibi. [Verum, dictus Episcopus antequam ad ipsum vestra citatio pervenisset, ad præsentiam nostram accedens proposuit, quòd illi, qui enormia de ipso suggererant, typho malitiæ potius, quàm iustitiæ Zelo ducti, nobis huiusmodi intamant, eum ipsi ejus sint inimici manifesti, & cum ejus hostibus convenserent, consanguineosque suos ac complices intendant ad testificandum producere contra ipsum, qui ad denuntiandum seu testificandum non debent admitti: utpote juramenti profecti transgressores, & aliis criminibus irriti. Discretionis vestræ mandamus, quòd nisi su-

per prædictis famam ipsius lesam esse noveritis, vos ad inquisitionem illorum non NB. subito procedatis.]

105. Obicit II. Ex cap. 21. cod. Ad quod responderetur, eodem modo esse intelligendum, quando non adsunt indicia æquivalentia famæ: & præterea ibi solum dicitur, quòd ad delectionem duorum non debeat infligi pena, & sic habet. [Respondemus, nullum esse pro crimine, super quo aliqua non laborat infamia, seu clamorosa infamatio non præcesserit, propter dicta huiusmodi puniendum. Quin imò super hoc depositiones contra eum recipi non debent, cum Inquisitio fieri debeat solummodo super illis, de quibus clamores aliqui præcesserunt.] Itaque nullibi dicitur, quòd si adsent verisimilia indicia delicti commissi, non possit inquiri, nisi accederet infamia. Sanè, meo iudicio, raro contingit, ut ad Judicem deveniant indicia verisimilia de commisso delicto gravi, quin prius in populo ferantur de illo sermones: prius enim innocentesq; indicia communicari, quàm Judici, & prout sunt homines ad seumcipiandum de huiusmodi inter se, non item, ut ea deferant ad Judicem, ut experientia docet: hoc tamen est per accidens: nam si prius ad notitiam Judicis pervenirent, quàm exorta inde esset fama, hoc satis est factum ad inquirendum.

106. Unde, quidquid sit de sensu adductarum Decretalium, Julius Clarus q. 6. n. 8. asserit, solennitatem Diffamationis hodie in Inquisitionibus ab aula recessisse, ex aliis etiam iudiciis & presumptionibus apparentibus, famâ licet deficiente, specialiter contra aliquem inquisitionem formari posse. Ratio etiam ulterior hæc assignari potest. Quia rarò instituitur Inquisitio specialis, nisi præcedat generalis, quæ fundat specialem. Atqui, ut omnes farentur, ad generalem inquisitionem non requiritur ulla fama, Ergo nec ad specialem subsequenter.

107. Quin imò etiam illi AA. qui mordicus tenent, requiri semper præcedentem infamiam, adhuc aliquos casus admittunt & admittenda debent exceptos. Omitto illos quos probabiliter rejicit Sanchez, duos referam ex Card. de Lugo *disp. 37. §. 6. n. 63.* Primum quidem, cum Suarez, nenipe, quando delictum est enorme, & publicum, & Juxta sciret, esse indicia sufficientia contra aliquam personam, & aliunde esse moraliter necessarium ad bonum commune, quòd auctor delicti puniatur, vel propter imminens periculum ex illo delicto, vel quia talis conditio nis est, ut nisi cum illis iudiciis inquiratur, faciliè serpet in Republica, nec publice poterit puniri.

Secundò, ab omnibus excipitur, quando Inquisitio non fit ad punitionem, sed ad malum impediendum; ut quando inquiratur ad eligendum aliquem in Episcopum vel Parochum: tunc

enim potest inquiri de delictis secretis, de quibus nulla precedit infamia, pertinet enim ad bonum commune, ut non eligantur indigni.

108. Denique vix video, quâ ratione Suarez & Lugo consequenter ad suam sententiam loquantur. Nam, ut tradit Lugo n. 64. Nunquam potest Judex ex se ipso incipere Inquisitionem, sed semper precedere debet aliqua denuntiatio, vel aliquid æquivalens denuntiationi: atqui (subjungit idem auctor) existente denuntiatione seu denuntiatore, non requiritur infamiam præcedentem fateatur etiam Suarez, ergo (concludo ego) non requiritur semper infamia, imò nunquam, nisi tunc, quando ipsa infamia est loco denuntiationis. Eodem loco fateatur Lugo & Lessius, praxin Judicium non requirentium infamiam non esse damnandam.

CONTROVERSIA V.

De Indiciis sufficientibus ad inquirendum.

SUMMARIUM.

OB criminum diversitatem Judicis arbitrio relinquendum, quænam indicia sint sufficientia ad capiendum vel torquendum. 109.
In Ordinatione Carolina per Indicia intelliguntur quæcunque conjectura, quæ in aliquam probabilem opinionem commissi delicti ducere possunt, ubi rejiciuntur, quæ à Magis vel Astrologis proferuntur. 110.

109. **Q**uænam & quanti momenti indicia debeat præcedere ad inquirendum, secundum diversam inquisitionem, hoc est, vel ad capiendum, vel ad torquendum, declarat Interpretis terminis nimis generalibus, & obscuris, nempe, modò sufficere *levia*, modò requiri *gravia*, & hoc ideo, quia propter nimiam delictorum

diversitatem non possunt aliqua clariores regulæ constitui.

Hinc Prosper Farinacius, eumque laudans Carpovius n. 49. id totum voluit Judicis arbitrio committendum, qui ex inquisitione generali de indiciis & præsumptionibus informatus, an ea pro qualitate criminis & personæ inquirenda sit prægnantes sint ad formandam inquisitionem specialem, facile arbitrabitur. Sicut enim diversa sunt crimina, diversaque conditionis homines delinquentes, ita & præsumptiones atque indicia quibusvis in casibus indifferenter uniformia non sunt, sed unum idemque indicium pro ratione criminis & conditione inquirenda personæ, modò erit sufficiens, modò insufficientis.

110. Nihilominus Ordinatio Carolina ab art. 19. per aliquot (subsequentes, diligenter tractat de Indiciis, ubi tamen ex art. 19. ante omnia advertendum est, non accipi in hac tractatione significatum *Indicium*, in eo rigore, prout subtiliter distinguitur *Indicium* à *Præsumptione*, *Conjectura*, signo, suspitione, sed per *Indicia* hæc omnia intelligi, adeoque universum argumenta omnia, quæ in delicti aliquam probabilem & non temerariam opinionem ducere possunt. Deinde art. 20. statuitur de indiciis ad torturam præquisitis: de quibus commodius infra agetur cap. 10. Art. 21. rejicit indicia quæ ab Astrologis vel Magis proferuntur. Art. 22. Ut ad indicia criminis tortura tantum, non condemnatio vel poena sequatur. Quæ porò in seqq. articulis traduntur, expediuntur infra loco citato, ubi ex professo de Indiciis ad torturam requisitis est agendum, de quibus est specialis difficultas. Quamvis etiam in his æstimandis Ordinatio Carolina plurimum tribuat & relinquat Judicis arbitrio art. 18. & 24. 25. & 27.

Hic ergo monuisse satis est, ad specialem Inquisitionem sine præcedentibus indiciis (inter quæ etiam est fama) non esse procedendum, & ad illa acquirenda servire maximè Inquisitionem generalem. Redeamus nunc ad ea, quæ sunt communia Processus tam Ordinarij, hoc est per Accusationem, quam Inquisitorij.

CAPVT V.

DE CAPTVRA ET INCARCERATIONE, ET SALVO CONDUCTV.

Superius dictum est, ad Inquisitionem requiri, ut inquirendus sit præsens, ita ut illius copia pro libitu Judicis haberi possit, & patebit ex dicendis de Examine, & formatione articulorum inquisitionalium. Ad hujus autem præsentis securitatem sæpè opus est custodia, ne Reus aufugiat, & se inquisitioni subtrahat, quæ tamen temerè arripienda non est, & cum injuria inquisiti, ob gravissima incommoda quæ secum afferret carcer & custodia. Sit ergo

CONTROVERSIA I.

In quibus Delictis Incarcerationi sit locus.

SUMMARIUM.

Sententie diverse Doctorum referuntur. 112.
Argumentum Carpovii pro sententia Clari ostenditur esse fallax. 113.
Sententia Auctoris. 116.

112. **P**rima sententia est, Captura non esse locum nisi in illis delictis inquirendis, quorum poena ordinaria à Jure constituta est corporis afflictiva, alioquin Judex tenebitur in Syn dicatu. Ita tenet Julius Clarus §. fin. q. 28. n. 1.

Secunda sententia est, posse reum incarcerari etiam quando solum venit imponenda poena pecuniaria. Ita tenet Farinac. q. 27. n. 39. Modernus Roman. & Bajardus ac Bossius, qui dicunt, in practica ita servari, ut etiam in delicto, pro quo tantum poena pecuniaria infligenda venit, reus possit capi & detineri in carceribus, sed deinde completo processu relaxari sub fidejussoribus.

113. Mediam viam ingreditur Guazzinus, *defens. s. c. 3. n. 14.* ubi dicit, quod si persona inquisita esset dives, vel honesta, & in aliqua dignitate constituta, ut plurimum in istis causis solet procedi non per capturam, sed per citatio-

nem, vel monitorium; & si inquisitus comparcat, solet statim examinari, & deinde relaxari sub cautione, vel per seipsum factâ obligatione de se præsentando: quodsi non possit unico examine perfici processus, tunc solet detineri in aliquo loco honesto, vel Camera in Prætorio, vel dimitti ut habeat domum pro carcere, injuncto ei præcepto de non alloquendo cum aliquo, ne instruat, quid dicere debeat in suis examinibus. Ita etiam tenet Scaccias *lib. 1. c. 42. n. 15.* alios allegans. Ab hac media via non videtur reipsâ differre Carpovius, q. 111. ubi docet, sententiam Julii Clari esse veram regulariter loquendo: postea autem ponit limitationes, notæ referendas.

114. Probat sententiam Clari Carpovius hoc argumento. Incarceratio est quædam corporis afflictio: ergo non potest adhiberi tanquam medium ad obtinendam vindictam de delicto promerente meram poenam pecuniariam. Probatur consequentia. Quis non debet medium esse gravius quam sit ipsa poena Rei confessi vel convicti. Atqui poena corporis afflictiva est gravior quam poena pecuniaria: ergo si delictum solum promeretur poenam pecuniariam, non potest incarceratio, ut pote corporis afflictiva, adhiberi.